



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulvm III. Quidam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## CAPITVLVM III.

## Quidam.

## PARAPHRASIS.

Ad consultationem, an qui invitâ uxore Monasterium ingressus, & ad eandem redire compulsus est, teneatur illâ mortuâ redire ad Monasterium; an verò ad aliud Matrimonium transire possit: respondit Pontifex, non teneri quidem redire ad Monasterium, eò quod professio non fuerit valida; non tamen posse aliud matrimonium inire, cum votum non petendi debitum emittere potuerit, & emisserit.

## SUMMARIUM.

1. *Maritus, & uxor quoad debitum conjugale pares sunt obligationes.*
2. *Professio conjugati post matrimonium consummatum, si fiat altera parte invitâ, valida quidem non est in vim professionis, valet tamen in vim simplicis voti.*

**N**otandum primum. Maritus & uxor, quoad jus debiti conjugalis pares judicantur, cum non minus uxor habeat potestatem in corpus mariti, quam vice versa, prout hic apparet, cum allegato testimonio Apostoli 1. ad Corinth. 7. *vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* &c. Ratio est, quia ita servatur æquitas, & iustitia contractus matrimonialis. Veruntamen quoad gubernationem domûs uxor debet esse subdita marito, tanquam capiti suo, uti docui in *cit. tract. ult. p. 3. c. 2.* & dicam in *c. Charissimus 11. hoc tit.*

**N**otandum secundum. Tametsi professio conjugis sine consensu alterius conjugis facta post matrimonium consummatum absolute loquendo non valeat, uti etiam colligitur ex *cap. una 6. cit. q. 2.* quod est *S. Aug. Epist. 45. ad Armentarium.* obligat tamen instar simplicis continentiae voti à conjugate emissi, consequenter obligatur vo-

vens, seu professus ad non petendum conjugis debitum, licet petenti conjugi reddere teneatur; deinde si uovens alteri conjugi supervivat, continentiam perpetuam servare debet, juxta ea, quæ dixi *eadem p. 3. c. 1. n. 10.* & habetur in *c. placet 12. hoc tit.* Ratio dari debet, quia ob favorem divini cultûs jus præsumit conjugis profitentis intentionem fuisse, si actus non valeat ut votum solenne professionis, quod valere debeat, quatenus potest, videlicet, ut votum simplicis continentiae, juxta illud: *si non valet, quod ago, valeat, sicut valere potest, vel si non valet totaliter, valeat partialiter, sicuti explicavi cit. p. 3. c. 7. n. 3, c. 4.*

## CAPITULUM IV.

## Cum sis.

## PARAPHRASIS.

Cum SS. Patrum constitutioni contrarium sit, si uxor marito, aut maritus uxore in sæculo relicta, ad Religionem transeat, idè Alexan. III. prohibet Episcopo Exonensi, ne in Episcopatu suo conjugem, v. g. maritum, ad Religionem transire permittat, nisi etiam uxor ingredi velit; verum si ea senex sit, & sterilis, ut absque incontinentiæ suspitione in sæculo manere possit, permitti potest, dummodo continentiam perpetuam vocet.

## SUMMARIUM.

*Ad validam conjugati professionem post consummatum matrimonium, quid requiratur ex parte alterius conjugis?*

**N**otandum. Conjux in Religione profiteri non potest, nisi etiam alter profiteri velit. Ita *hic, & in c. 1. c. ad Apostolicam 13. hoc tit. c. Agathosa 21. c. 27. q. 2.* Limita primò. Nisi alter in sæculo manere volens, consentiat, ut alter conjux ingrediat, & profiteatur; tunc verò distinguendum, an conjux in sæculo juvenis sit, & in peri-